



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Caput XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

## CAPUT XIII.

De *Petitionibus.*

**O**Rationi ordinariè finem imponunt petitiones, quæ nihil sunt aliud, nisi manifestatio nostrarum necessitatum facta Deo, à quo auxilium postulamus, ut ab illis eriamur. Nascitur autem petitio ex consideratione propriarum infirmitatum ac miseriarum, quas ubi anima cognoverit, efficax ab illis se expediendi ac liberandi concipit desiderium; verum haud ignorans, id se non posse absque divinæ auxilio gratiæ consequi, humiliter & confidenter ad Deum se convertit, & ab ipso illam petit.

*Definitio  
petitionis.*

*Nonnulli  
putant pe-  
titionem*

*esse actum  
intellectus,*

*sed reverà  
est actus*

*volunta-  
tis. Et*

*quasi ex-  
pressus per*

*actum in-  
tellectus.*

Actus proinde petitionis tres alios comprehendit; Primus est consideratio eorum, quæ nobis desunt; Alter interior illa consequendi desiderium. Tertius denique affectuosa eruptio voluntatis ad Deum confugientis, & suam illi necessitatem pariter ac desiderium representantis, non quidem ut illum instruat, nihil enim ille ignorat: *Scit enim Pater vester, Matth. 6. quia his omnibus indigetis,* inquiebat divinus Magister noster, sed quia desiderium nostrum eâ proportionem augetur, quâ petitiones nostras multiplicamus, quod desiderium ita adaugtum citius meretur exaudiri.

Petitio autem, ut bona sit atque à Deo exaudiatur, quatuor habere debet conditiones, scilicet ut fiat primò *magno cum desiderio,* secundò *profundâ cum humilitate,* tertio *tenerrâ*

*Conditio-  
nes quas*

*habere*

*debet pe-  
ticio.*

nerâ ac filiali cum *confidentia*, ac quartò de-  
nique constanti cum *perseverantia*.

Quantum ad primam: si desiderium no-  
strum instabile sit & inconstans, omninò ti-  
*Iacob, 1. 7.* mendum est, ne à Deo non exaudiamur. *Non  
astimet homo ille, quod accipiat aliquid à Do-  
mino,* inquit S. Jacobus Apostolus. Quia gra-  
tiæ illius dona tanta sunt, adeoque pretiosa, ut  
minima res, quam à nobis ipse possit exigere,  
sit verum ac sincerum illa obtinendi desideri-  
um. Atque ista causa est, cur ea nobis ipse  
non rarò soleat ad tempus denegare, ut illa  
habendi desiderio ex hac dilatione crescente,  
deinde tanti quanti oportet faciamus, atque  
illis etiam melius utamur. Eapropter ubi se  
quis adverterit esse tepidum, ac veluti inter  
duo extrema fluctuantem, semetipsum exci-  
tare debet piis quibusdam considerationibus,  
ut fortiter divinæ gratiæ, quam petit, coope-  
tari proponat. Quod si quis neque hoc possit,  
*Pf. 118.* saltem dicet cum Propheta Regio: *Concupi-  
vit anima mea desiderare justificationes tuas,*  
*20.* id est in omni re explere tuam sanctam volun-  
tatem. Hoc genus desideriorum sincerum est,  
etsi minus videatur esse vehemens, unde etiam  
non rarò meretur exaudiri.

Altera conditio est verus atque ingens no-  
stræ indignitatis sensus & affectus, quia nihil  
est, quod adeo super nos attrahat gratiam Dei,  
quam cor humile. Et quò plus anima in sua-  
rum miseriarum ac peccatorum consideratio-  
ne atque agnitione in conspectu divinæ Ma-  
jestatis se demergit, eò amplius se disponit, ut  
donis ac virtutibus cœlestibus à Deo complea-  
tur,

tur, quia uti optimè dixit Psalmista : *Abyssus* Pf. 41. v. 8,  
*abyssum invocat*, abyssus videlicet humilitatis  
 super se attrahit abyssum divitiarum ac miseri-  
 cordiarum Dei.

Tertiam conditionem vos docuit ipse Sal-  
 vator noster ubi ait : *Omnia quaecumque oran-* Matth. 11.  
*tes petitis, credite quia accipietis; & evenient* v. 24.  
*vobis.* Ad hanc habendam *fiduciam*, non pa-  
 rum inserviet, si consideremus, Deum nihil  
 æque desiderare, atque nos suis cumulare do-  
 nis, illiusque liberalitatem omnibus etiam vo-  
 tis nostris esse longè majorem, dicente S. Au-  
 gustino : *Erubescat humana pigritia, plus ille*  
*vult dare, quam nos recipere.* Quod si tantæ  
 liberalitatis effectum parùm experiamur, causa  
 est, quod nos ex parte nostra in requisitis peti-  
 tionis legitimæ conditionibus deficiamus.

*Quid nos  
 possit ex-  
 citare ad  
 fiduciam.*

*Petitis &  
 non acci-  
 pitis, eo  
 quod malè  
 petatis.*  
Jac. 2. 3.

Quarta denique conditio, quam etiam di-  
 vivino suo ore cœlestis nos docuit Magister  
 noster, est *perseverantia*, quæ consistit in eo,  
 ut nunquam animum despondeamus, quod  
 strarum petitionum consecuti haud simus  
 effectum, verùm nos potius magis ac magis  
 animemus ac solidemus in ea fide, fore deni-  
 que, ut sua divina Majestas duplicatò nobis  
 concedat ea, quæ ad tempus distulit nobis in-  
 dulgere. Id equidem haud difficulter com-  
 prendetur ab iis, qui magno tenebuntur  
 illius, quod poscunt, consequendi desiderio:  
 Cor enim desiderio plenum nunquam fatiga-  
 tur in eo, quod amat, persequendo; verùm si  
 frigidum fuerit desiderium, statim desistit, at-  
 que ad primam repulsam animum omninò de-  
 spondet.

In-

*P. Ludov.  
Granav.*

Insignis quidam Author existimat, orantem atque aliquid à Deo petentem coram eo se habere debere eo modo, quo se habet catellus coram Domino suo mensæ affidenti; pauper- culum enim illud animalculum omnis generis exhibet gesticulationes ac situs, ut frustulum aliquod obtineat; tamen si verò uno die patia- tur repulsam, non minus altero redit, atque easdem facit, quas die præcedenti, instantias. Uno verbo Redemptor noster ait: incessanter nos orare debere, neque deficere, quia tandem supremus ille Rex noster ea nobis, quæ petieri- mus, indulgebit.

*Quanam in oratione petere debea-  
mus.*

*Res tem-  
porales  
non sunt à  
Deo pe-  
tenda, nisi  
sub condi-  
tione.*

Sicut à Deo procedunt omnia bona, sive temporalia sive spiritualia, etiam utraque ab illo petere quis potest, cum hoc tamen di- scrimine, quod bona temporalia, qualia sunt prolongatio vitæ, sanitas, vires, felix alicujus negotii successus, ac similia, petere non debe- mus, nisi sub conditione, scilicet si sua divina providentia ita nobis judicaverit expedientius. Idem quoque dicendum est de bonis spiritua- libus, quæ ex se non efficiunt nos meliores, neque Deo gratiores, uti sunt donum lacry- marum, consolationes internæ, devotionis sen- sibilis suavitas, facilis ac profunda interior re- collectio & similia.

*At virtu-  
tes ac gra-  
tiam Dei  
absolutè  
debemus  
petere.*

Verùm absolutè & absque ulla restrictione aut limitatione petenda nobis sunt bona spiri- tualia necessaria ad nostram salutem ac perfe- ctionem, qualia sunt remissio peccatorum, victoria

victoria tentationum, vitiorum extirpatio, sanctum odium sui ipsius, mortificatio sensuum ac passionum, facultatum ac potentiarum animæ nostræ superiorum ordinatio ac recta compositio, exacta Regularum & Constitutionum nostrarum observantia, virtutes ad vocationi sanctæ nostræ respondendum necessariæ, pœnitentia, oratio, obedientia, humilitas, mansuetudo, fortitudo, ac purus in Deum amor, integra conformitas cum sua divina voluntate, aliæque similes nobilissimæ qualitates, sine quibus animæ nostræ Deo perfectè nequeunt placere.

Ordo, quem in suis petitionibus quis potest tenere, hic erit: ut ante omnia petamus gratiam practicandi aut acquirendi ea, quæ in meditatione cognovimus nobis esse utilia, aut nobis deficere, uti foret, verbi gratia, Extirpatio alicujus vitii; exinde verò transire poterimus ad alias petitiones generaliores, tam pro nobis ipsiis quam pro aliis, observando temper, tam hîc quàm in aliis omnibus, interiorem, quam quis persenserit, dispositionem, ac Spiritus S. motum, & gubernationem. *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus: Spiritus autem postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Ordo petitionum.

Rom. 8. 26.

Sunt, qui posteaquam ea, quæ pro seipsis voluerint, petierunt, etiam orare amant pro Ecclesia, pro Prælatiis, atque universo populo Christiano; alii pro sanctæ nostræ Religionis orthodoxæ exaltatione, Infidelium & Hæreticorum conversione, ac Schismaticorum reunionè; alii similiter pro incremento boni spiritualis nostri sacri ordinis: alii pro animabus

H

par-

*Nota.*

purgatorii ; alii pro agonizantibus ; alii pro animabus in peccato obduratis , atque alii denique pro aliis diversis rebus , quem interiore tractum ac motum quivis sequatur oportet quia credibile est , velle Deum à tali homine pro hujusmodi rebus orari , ut hac ratione suo in terram gratiarum suarum thesauros effundat.

*Praxis actuum petitionis.*

*Prima  
aliquid  
à Deo  
postulandi  
ratio.*

**D**uplici porrò ratione in hujusmodi facienda petitionibus procedere possumus. Primò necessitates nostras cum affectu interiore nudè ac simpliciter proponendo ; sicut mendicantes ægroti in valvis Ecclesiarum constituti suas dumtaxat plagas aut vulnera sive ulcera exhibere solent , quo ita ingredienti & egredientes ad compassionem commoveant , atque ab iis stipem obtineant , quam quidem eâ obtinent ratione facilius , quàm si importunis clamoribus prætergredientium aures obtunderent.

*Luc. 16.  
v. 11.*

Hac ratione ad januam Epulonis se gerebat mendicus ille Lazarus , ne verbum etenim proferebat , sed solum *jacebat ad januam , cupiens saturari de micis , que cadebant de mensa Divitis.* Eodem modo se habebat pauper ille

*Matth. 8,  
v. 2.*

Leprosus , qui coram Salvatore nostro in genua sua procumbens agebat : *Domine si vis potes me mundare* , mundari expressè non postulat , sed solum agebat , *Domine si vis potes me mundare.* Nec absimili quoque ratione se duæ illæ sorores Martha & Maria Magdalena gerebant in infirmitate fratris sui Lazari , neque enim

enim ad Jesum mittebant, qui eum rogaret, ut veniret, & fratrem suum ab infirmitate sua curaret, sed solum miserunt ad eum, dicentes:

*Domine, ecce quem amas, infirmatur;* Hic Ioan 11<sup>o</sup> v. 3.  
denique (ut paucis multa complectar) ut us  
erat Vatis Regi ubi dicebat: *Domine ante te* Pf. 37. v. 10.  
*omne desiderium meum, & gemitus meus ante*  
*non est absconditus.*

Ista methodus orandi suo perquam rarissimè frustratur effectu, quia sincera, ingenua, humilis ac plena fiducia est. Desiderium dumtaxat est nullâ ratiocinatione explicatum, Deo tamen longè gratissimum, omninoque quod exaudiatur dignissimum, dicente Propheta Regio: *Desiderium pauperum exaudiuit* Pf. 10. v. 17.  
*Dominus.*

Altera orandi methodus est; cum quis utitur discursu composito ex pluribus rationibus & argumentis bene ordinatis, & ad Deum commovendum, ac veluti, ut petitioni annuat, persuadendum comparatis; ad eum penè modum quo uti solent, qui à Rege munus aliquod aut favorem obtinere cupiunt, aut Rei cum Judicem permoveere satagunt, ut latam in eos sententiam aboleat & rescindat. Utrosque enim videmus omnem suam depromere industriam, ut postulata obtineant. Rogant, supplicent, obsecrant, obtestantur. Nunc eorum, quos orant, bonitatem ac virtutes commendant; mox ea, quæ universis hominibus conferre amant, beneficia deprædicant; quin & amicorum preces non rarò interponunt: uno verbo nihil eorum, quæ ipsis ad intentum servire possunt, intermittunt.

*Alter  
modus  
orandi  
Deum scilicet  
aliquid ab  
ipso petendi,  
industriâ  
supplicanti-  
um.*

H 2 Eâdem

De  
ratione



Eâdem prorsus ratione nos gerere possimus erga Deum, illum orando & obtestando per omnes illius perfectiones prorsus infinitas, per ineffabilem bonitatem, per misericordias erga peccatores immensas, ac denique per omnes titulos atque ingentis illius, quæ sapissimè nobis exhibuit amoris argumenta, recensendo sigillatim quamplurima ab eo in nos profecta beneficia, eumque his omnibus argumentis ad nos exaudiendos permovendo, exhibendo ei, quam æquæ sint petitiones nostræ, quantum ad nostram salutem conferant momenti; quantumque nos simus infirmi, nisi divino illius corroboremur auxilio.

Possimus etiam, imò debemus, interponere merita Domini nostri Jesu Christi, ut dictum fuit capite præcedenti, recurrere quoque ad B. Virginem, Angelam Custodem, atque ad omnes nostros sanctos Patronos, secundum quod nos nostra impulerit devotio. Ut verò Fratres nostri ea, quæ dicta sunt, omnia melius percipiant, in gratiam illorum aliqua hic exempla seu formulas subnectemus.

*Formula.*

**A** Nima postquam exempli gratia meditata fuerit infelicitates peccati, ad Deum, ut ipsam ab eo eripiat, orandum impelli se sentiet, petitionem ergo, suam exhibebit hac ratione.

*Prima  
formula.*

Secundum infinitam misericordiam tuam,  
Domine, peccata mihi mea, meas miserias,  
im-

DE PETITIONIBUS: 117

Imperfectioes meas manifestasti, illorumque omnium horrore perculisti ac terrore. Verum, amabò, quid prodesset infelicitatem meam intelligere, si in eandem me relabi contingeret? Ah! noli, mi Deus, noli, te obsecro & obtestor, id permittere. Gratiam, quæso, tuam mihi impertire, ut illis in perpetuum liber existam, facultatem, rogo, concede, omnes declinandi occasiones, quibus aliquid committere possem tuo divino ingratum conspectui, integrè etenim tuo consecrare me famulatio omninò constitui.

Anima, quæ divino sese amore conspexerit *Altera formula* vacuam, ipsum à Deo postulabit hac ratione;

Domine Deus, humillimè rogo te, ut mihi verum fortemque tui amorem impertiaris, hoc enim pacto & mihi & tibi lucrifecero universa. Quod si vel semel cordi meo detur gustare, quàm suavissimis es Domine, vitia absque ulla declinabit, virtutesque consecrabitur difficultate. Verum quidem est, isto me amore profuse esse indignum, quoniam tamen te a mare jubeor ex toto corde, ex tota anima, atque ex totis viribus meis, da mihi quæso quod jubes. Heu me! quantum ab omnibus omninò creaturis tuis, verum à me præcipuè, cui tot, tantaque exhibuisti beneficia, dignus es ut ameris? Age ergo, mi Domine, veni, & hujus cordis mei adi possessionem, atque hoc age, ut quantum debeo, imò & quantum, si possibile illud fuerit, tu mereris, te diligam.

*Da quod jubes, & jube quod vis. D. Aug.*

*Tertia  
Formula,*

*Si quid pe-  
tieritis Pa-  
trem in  
nomine  
meo, dabit  
vobis.  
Ioan 16,  
23.*

Eodem modo pro obtinendis virtutibus sic orabis: Heu me miserum! Quomodo coram te, amabilissime Domine, in die tuarum comparere audebo nuptiarum, cum nudum me, atque omnium virtutum veste spoliatum comperiam? Tu ergo, te obtestor, insignibus illis me condecora ornamentis, quibus careo, quorumque defectu in tuis tibi oculis displicere me novi; intimo cordi meo profundam impii ne humilitatem, simplicem ac promptam erga meos mihi superiores obedientiam, erga Fratres meos suavitatem concede ac submissionem. Vivam indulge compunctionem, qua dignè peccata mea plangere, eaque pœnitentiâ sanctâ queam eluere. Tenebras mentis meæ crassiores sancto tuo lumine dissipa, atque animam meam veracibus tui penitus acquirendi ac possidendi desideriis adimple, ut totus esse tuus desiderem, ut quoque tu meus esse non dedigneris. Hoc efflictim te rogo per sanctum nomen tuum, per ineffabiles perfectiones, per bonitatem, misericordiam & charitatem tuam infinitam, perque eam denique, quo te ipsum prosequeris, amorem. Rogo per dilectissimum filium tuum Dominum ac Redemptorem meum Jesum Christum, per vitam & dolores illius, per ea omnia, quæ pro me fecit & passus est, per orationes, jejunia, vigillas & labores ipsius, per omnes quas perpessus fuit injurias, opprobria, tormenta, per mortem denique, & in cruce pro me effusam cruorem, petitionem hanc utique meam, si placet, mi Deus, non denegabis, quia concessurum

surum te nobis, quidquid in illius te nomine rogaverimus, promisti. Exaudi ergo, oro te, exaudi me, quia de tuo honore, deque mea hic agitur salute, quia & sanguis pretiosissimus dilectissimi tui Filii te interpel-  
lat.

Domine, si vis, hanc mihi gratiam potes præstare; quod si verò tu illam mihi deneges à quo ipsam sperare unquam poterò? Tu ipse nostris in necessitatibus ad te confugere nos jussisti, in verbo ergo tuo id facio. Ut quid verò tot hæctenus beneficiis me cumulasti, si ista in necessitate mea me deseris?

Virgo gloriosa, te quoque interpello, tuamque incomparabilem bonitatem obtestor, ut causam meam agas, tuamque potestatem & auctoritatem erga filium tuum dilectissimum, qui tibi denegare nil poterit, pro me interponas. Tu Mater misericordiæ, ac miserorum peccatorum, quorum pessimus ego sum, es Advocata: in me ergo juvando tua charitas ac Dei mei magis elucebit misericordia.

Angele Tutelaris, vosque sancti Patroni mei N. N. mei este intercessores, perque merita vestra petitionis meæ exauditionem obtinere.

Juxta formulas istas & exempla omnis generis petitiones, in quavis materia, efformare facillimum erit.